

attentatum esse dignoscitur, Definitorum arbitrio revocetur. Circa vero illos Prioratus, qui alienati, & permutati esse dicuntur absq; Sedis memorate licentia, precipimus, ut quod per Abbatem super illis actum est, penitus revocetur, & Abbas ad revocationem hujusmodi faciendam, quam primum commode poterit, exhibeat se vigilem, sollicitum & etiam studiosum: ita quod ad clerum divinum, & solum Monachorum numerum, ac subjectionem dicti Ordinis reducantur.

In uno Prioratu unus Monachus manere non debet.

Refectio Monachorum sit uniformis.

Esu carnisum relinquatur arbitrio Abbatis.

Habitus honestas præferatur.

Equitaturam superfluitas submovetur.

Contrahendi & rationis reddendæ manentur.

§. 21. Nec in Prioratu aliquo unus solus Monachus commoretur, sed ei, qui solus est, unus, vel plures socii Monaci adjungantur, si loci suppetant facultates. Alioquin Monachus revocetur ad claustrum, provisio quod in eo divina celebrentur honeste.

§. 22. Circa qualitatem autem ciborum, & potus, seruari precipimus, ut omnes Monaci in uno reficiantur refectorio, de eodem potu, & pane, eademque coquina: nisi forte, aliquem ipsorum comedere cum Abbate, vel Priore, seu in infirmarya contingat. Abbas autem cum fratribus in refectorio comedat: nisi propter hospites mutet locum. In infirmarya vero nullus comedat, nisi propter infirmitatem, vel debilitatem illuc fuerit destinatus.

§. 23. Circa esum vero carnisum licentiam relinquimus dispensationi Abbatis, secundum indulgentiam Clementine. Caveat tamen Abbas, ne super hoc sit nimis ad dispensandum facilis, vel laxet nimium manus suas.

§. 24. Illud quoque precipimus observari, ut Monaci sicut in claustris, ita foris se habeant: nec incedant sine cuculla & flocco, vel sine cuculla & cappa regulari & honesta, nec nimium sumptuosa. Nec equitet Abbas aliquis, vel Prior sine postella & sella regulari, quæ tamen sumptuosa nimium non existat. Nec aliquis Monachus equitet corrigiatis calcibus, nisi in longo itinere constitutus: sed contra imbres, & pluvias, frigus, & æstus, cappellis filtris possint uti. Nec quisquam in quovis loco tunicis, vel coopertoriis de bruneto, aut pellibus silvaticis, seu camisis, aut linteaminis lineis uti præsumat: nec deferat vestes scissas ante & retro. Nec aliquis claustralis habere propriam cappam pluvialem, aut equitaturam sibi deputatam attentet.

§. 25. Circa equitaturas enim, & familiam, omnem superfluitatem amputare volentes, mandamus, ut Abbas Clun. sexdecim equitaturis contentus existat: & alii Abbates ejusdem Ordinis, ac Prior de Caritate octo: Prior S. Martini sex: Priores alii Conventuales tribus, vel quatuor: & ceteri minores duabus evectionibus sint contenti. Abbates quoque, & Priores dicti Ordinis fervientes honestos habeant, nec nimis comptos, qui & vestes decentes deferant non nimium curiosas.

§. 26. Quia vero ad desolationem domorum plurimum operatur laxa potestas debita contrahendi, & quod ratio non redditur de debitis, vel receptis: precipimus, ut singuli Abbates, & Priores de consilio fratrum & familiarum, quibus præsent, cum testimonio bonorum

virorum, qui ad locum pertinent, cum contrahendum, vel innovandum est mutuum, ita faciant diligenter, ut omnibus liqueat quantæ summa, quibus conditionibus, & quibus debeatur, & in quos usus contractum mutuum sit conversum. Et ut status domorum certior habeatur, statuimus, ut in Monasterio Clun. & aliis Abbatibus, & Prioratibus Clun. Ordini subiectos Prioratus habentibus, fiant registra: in quibus scribatur, quot Monaci in qualibet domo, juxta ipsius domus facultates, possint, & debeant commorari, & institutio Abbatum, & Priorum scribatur in eisdem registris, & in quo statu institutus recipiet Abbatiam, seu Prioratum. Et si eam in bono statu receperit, & ipse in malo posuit, bonæ ejus debitis obligando, vel ad vitam, vel perpetuo alienando, absque causa rationabili, per Definidores approbata post factum, vel ante si per relationem fidelium Visitatorum convictus fuerit de prædictis, absque alia juris solennitate per Definidores Abbatia sua, vel Prioratu privetur. Dicta vero registra ponantur, & conserventur in arca communi, ubi commune sigillum consuevit pro tempore custodiri. Adiciamus etiam, ut nulla litera sigilletur sigillo conventus Clun. vel alterius ejusdem Ordinis, nisi in Capitulo coram conventu in vulgari, & latino prius lecta fuerit: & tunc sigilletur. Et postquam sigillata fuerit, iterum modo prædicto in Capitulo coram omnibus relegatur. Quo facto ponatur tenor literæ in registro, quod registrum servetur in arca eadem, in qua ut præmittitur, servatur commune sigillum. Et si litera data fuerit de debito contrahendo, cancelletur litera in registro: & a creditoribus repetatur: & habita vel recuperata in libro cancelletur. Singuli autem officiales coram Abbate, vel Priore (si non est ibi Abbas) & coram senioribus duobus singulis mensibus de suis officiis rationem, & de omnibus receptis & expensis computationem fideliter faciant. Abbas etiam Clun. & ceteri Abbates, & Priores, quater in anno statum suæ domus in suo Capitulo, & coram Visitatoribus, cum venerint, plene declarent. Nullus quoque Abbas, vel Prior, grangiam, pensionem, vel præbendam monachalem secularibus personis concedere, seu possessionem aliquam, venditionis seu alio aliquo titulo alienare, absque patris Abbatis, aut patris Prioris & conventus sui consilio, & consensu præsumat.

§. 27. Pœna insuper Monachis proprietariis infligatur, videlicet, ut per annum ad statum novum redigantur: & infra dictum annum assidue coram Conventu comedant in terra sedentes, & in depositariis, si Monachis proprietariis deposita restituerint, quæ sunt suis Monasteriis resignanda, monitione præmissa, excommunicationis sententia promulgetur.

§. 28. Ad hæc, quoniam Abbas Clun. nec non Abbates, & Priores ejusdem Ordinis, Prioratus sibi subiectos exactionibus, & extorsionibus consueverunt adeo aggravare, quod in eisdem Prioratibus antiquis, & consuetus Monachorum numerus est nimium diminutus, nos

Pœna Monachis proprietariis infligenda.

Exactiones & extorsiones vitandæ.

id de

id de cetero fieri sub attestatione divini iudicii prohibemus, injungentes dicto Abbati Clun. & aliis Abbatibus & Prioribus ejusdem Ordinis in virtute sanctæ obedientiæ, ut deinceps novos census subiectis sibi Prioratibus vel Decanatus non imponant absque licentia Sedis Apostolicæ speciali: cum liqueat Prioratus ipsos non ad destructionem, sed ad conservationem Ordinis, & correctionem sibi esse subiectos, & eisdem Prioratibus pro sustentatione Monachorum inibi domino famulantium possessiones pia devotione fidelium fuisse concessas.

Bona vacantia quæ & qualiter per Abbates percipienda sunt.

§. 29. Circa ordinationem vero bonorum Prioratum vacantiam precipimus, ut in Prioratibus dicti Ordinis per mortem, aut per amotionem Priorum vacantibus, Abbas Clun. palefredum, cappam, & breviarium Prioris præmortui (secundum antiquam consuetudinem) habeat, & deductis debitis (si qua sint) ante omnia & solutis, Monachis etiam ibidem commemorantibus, & Priori futuro, ac familie domus pro se & necessitatibus suis, usque ad fructus novos prius congrua sustentatione dimissa, relictis etiam ad excolendam possessiones necessariis ad refectorem domorum (si necesse fuerit) de residuis mobilibus possit recipere quartam partem. Precipimus etiam dicto Abbati, ut nova, vel falsa debita præfatis Prioratibus non imponat, nec Abbas pro Prioratum, vel talium beneficiorum collatione, aliquid recipere possit: cum hoc non careat vitio simoniæ. Animalia etiam domus (præter dictum palefredum) decernimus, quod nullatenus possit recipere vel habere. Insuper, si aliquis Prior nolens præesse, sed magis in claustris Domino deservire, renunciaverit Prioratu, hoc idem precipimus observari. Si autem aliquis Prior ejusdem Ordinis mutatus fuerit, vel translatus alibi præficiatur, ordinamus, & decernimus, quod tunc nihil possit dictus Abbas recipere, ne propter vacationem unius Prioratus, in fraudem plures vacare faciat, ut bona omnia secum portet. Quod autem de Abbate Cluniacensi statuimus, de aliis Abbatibus, & Prioribus Cluniacensis Ordinis, precipimus, & decernimus observari. In dictis vero Prioratibus vacantibus, nullus nisi prius institutus (cui committitur Prioratus) officiales, administrantes, vel ministratores amoveat, nisi de ipsorum administratione mala constaret, vel etiam appareret, vel non extiterit bonæ vitæ. Statuimus insuper, ut nullus Abbas, vel Prior det, seu concedat literas suas alicui clerico, vel laico, super ipsius receptione futura in Monachum, vel Conversum, in aliqua Abbatia, seu Prioratu sibi subiecto.

Novitelli ante 15. annos non recipiuntur.

Justo appellans non molestandus est.

§. 30. Ceterum quia Ordo videtur grave profitentibus jugum imponere, districtius inhibemus, ne ante quintumdecimum annum ætatis completum ad Monachalem professionem pner aliquis admittatur, mulieribus ingressu claustris, vel chori interdicto.

§. 31. Statuimus præterea, quod Abbas Cluniacensis nullum ex causis legitimis utilitate Ordinis, vel Abbatiarum, vel Prioratum appellentem excommunicare, vel

incarcerare, seu detinere præsumat. Quod si contrarium factum fuerit, excommunicans, incarcerans, vel detinens, poenam suspensionis merito poterit formidare.

§. 32. Inhibemus tamen, ne Monaci passim, & pro causis levibus contra suos superiores appellent.

§. 33. Et cum secundum Evangelicam veritatem, qui mandata Dei propter traditiones transgrediuntur humanas, a domino arguantur: arbilissime interdiciamus, ne propter nostras traditiones vel constitutiones, regularia B. Benedicti statuta aliquatenus omitantur.

§. 34. Ut igitur hujusmodi mandatum lucerna sit vobis, lex, lux, via vitæ, increpatio disciplina, universitatem vestram monemus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus mentes vestras, & animos, tamquam devotionis obedientiæ filii, ad pacem, & quietem vestram solcite dirigentes, præscripta statuta studeatis inviolabiliter observare, ad frugem melioris vitæ conversi, ascensionibus in corde dispositis, de gratia in gratiam, & de virtute proficientes salubriter in virtutem, bonus in omni loco efficiamini odor Christi: Nosque in vestris meritis delectati, ad profectus vestros merito intendere valeamus.

Datum Reate, II. Idus Septemb. Pont. nostri anno II.

Levis appellatio prohibetur.

Regule S. Benedicti observantia non prætermittatur.

Hæc reformatio ab omnibus observetur.

Dat. die 12. Sept. 1289. P. A. II.

V I.

Quod Processus habiti per Inquisitores contra Hereticos etiam post obitum Papæ, a quo deputati fuerant, validi habeantur.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum Inquisitoribus hereticæ pravitate auctoritate Sedis Apostolicæ Deputatis, & impofterum Deputandis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Regest. Vatic.

NE aliqui dubitationem forsitan sollicitam excitantes, in dubium revocent, an processus per Vos, quibus Inquisitionis officium contra resperos hereticæ pravitate infra certos limites exitit ab Apostolica Sede commissum, in casibus aliquibus habiti, qui post Romani Pontificis obitum, cujus auctoritate vobis idem est commissum officium, emerferunt, & in nonnullis aliis, in quibus licet antea emerfissent, vivente tamen eodem Romano Pontifice per Vos, vel alios Inquisitores prædictos non fuerat aliquo modo processum, robur obtineant firmitatis, tenore præsentium in favorem fidei declaramus, decernimus, & etiam statuimus, hujusmodi processibus per Vos, aut alios Inquisitores prædictos taliter habitis nequaquam obsistere, quod tempore Romani Pontificis, cujus auctoritate hujusmodi officii erat facta commissio, non fuerint inchoati.

Causæ Decretæ.

Et

Deererum.

Et ne de cetero similem dubitationem moveri contingat, hoc idem in similibus processibus habendis imposterum preterito commissionum factarum hactenus, & faciendarum a Nobis, vel nostris successoribus decernimus, & statuimus observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, Constitutionis, & Decreti infringere &c.

Dat. die 19. Junii 1290. P. ann. III.

Datum Romae apud Urbem veterem tertio Kalendas Julii Pontificatus nostri anno III.

VII.

Confirmatio Erektionis Ulyssipponensis Academiae, quae variis ornatur privilegiis.

Ex Rainaldo ad ann. 1290. p. 52.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Universitati Magistrorum, & Scholarium Ulixbonensium.

Agordium.

De statu Regni Portugalliae tanto solertius cogitamus, quanto majori desiderio ducimur, ut in Regno ipso, submotis quibusvis obstaculis, divini cultus observantia vigeat, salubribus intendatur operibus, & fidei Catholicae puritas ad laudem divini nominis, & salutem fidelium in illo degentium invalecat.

Academiae hae condita a Dionysio Rege.

S. 1. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod procurante charissimo in Christo filio nostro Dionysio Portugalliae Rege illustri cujuslibet licite facultatis studia in Civitate Ulixbonensi sunt de novo non sine multa, & laudabili provisione plantata: quorum Magistris, ut liberius possint vacare studiis, & doctrinis, a quibusdam Prelatis, Abbatibus, Cisterciensibus, ac Prioribus Sancti Augustini, & Sancti Benedicti Ordinum, & Rectoribus quarundam secularium Ecclesiarum Regnorum Portugalliae, & Algarbii promissum esse dicitur certum salarium statutum.

S. 2. Nos autem diligentius attendentes, quod hujusmodi studia cooperante illo, a quo bona cuncta procedunt, in Regnis ipsis divinus cultus augebitur, crescat devotio, & fidei orthodoxae cultores informationem suscipient, virtutum decorabuntur insigniis, thesauros scientiae vendicabunt, & ideo ad augmentum, & corroboracionem studiorum ipsorum solliciti intendentes, desiderantes quoque, ut per Apostolici favoris auxilium studia ipsa firmis radicibus fulciantur: quodque super hoc factum est, ratum, & gratum habemus, praefatum Regem rogantes attentius, & hortantes, ut Cives Ulixbonenses Domos vacantes ad inhabitandum scholaribus sub competenti pretio, taxando a duobus clericis, & totidem laicis, viris discretis, Catholicis, & juratis, communiter electis a vobis, & Civibus ipsis, locare regia potestate compellat: quodque Ballivos, Officiales, & Ministrales suos Civitatis ejusdem personis, & rebus Scholarium, ac etiam Nuntius eorundem securitatem, & immunitatem promittere faciat, super hoc ab eis praestito juramento.

Ornata privilegia a Nicolao.

S. 3. Statuimus praeterea, ut universi Magistri actu regentes in Civitate praedicta, proventus Praebendarum, & beneficiorum suorum etiam personatus, & dignitates existant, quotidianis distributionibus, quae iis, qui divinis interfunt officiis assignantur, dumtaxat exceptis, integre percipere valeant & habere. Saneimus insuper, ut nulli Magistri, & Scholares, ac servientes ipsorum si, quod absit, contigerit eos in quocumque melesicio deprehendi, ab aliquo laico judicentur, vel etiam puniantur, nisi forte Judicio Ecclesiae condemnati relinquuntur curiae seculari, quod Scholares in artibus & jure Canonico, & Civili, ac Medicina, quos Magistri reputant idoneos, possint per Ulixbonensem Episcopum, qui pro tempore fuerit, vel Ulixbonensi Sede vacante, per Vicarium ab Ulixbonensi Capitulo in spiritualibus constitutum in studio licentiarum praedicta. Et quicumque Magister in Civitate praefata per Episcopum, vel Vicarium praedictos examinatus & approbatus fuerit in facultate quacumque, Theologica dumtaxat excepta, ubique sine alia examinatione regendi liberam habeat potestatem.

Clausula.

S. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, concessionis &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum apud Urbem veterem, V. Idus Augusti Pontificatus Nostri Anno III.

Datum die 9. Augusti anno Domini 1290. Pontif. anno III.

VIII.

Prohibitio faciendi Conjuraciones, societates, Confederaciones, seu Colligaciones in terris Ecclesiae, earumque cassatio, & annullatio sub excommunicationis sententia, aliisque penis spiritualibus, & temporalibus.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei Memoriam.

Ex Reg. Vatic.

Solent Conjuraciones, & Colligaciones aliae inter Civitatem & Civitatem, vel Universitates alias inita graves plerumque turbaciones inducere, aliaque grandia Corporum & Animarum pericula germinare. Hinc talia non improvide sunt Imperiali sanctione prohibita, & quae processerant, ejus auctoritate cassata, poenis, & aliis remediis in ipsius violatores adjectis. Nos igitur quibus Ecclesiae Romanae temporaliter subsectorum cura etiam spiritualis incumbit: ideoque ipsis maxime contra quavis saluti Animarum adversa providere tenemur, non immerito hujusmodi periculis occurrere cupientes, hac in perpetuum valitorum Constitutione de fratrum nostrorum consilio districtius inhibemus, in quibuscumque terris Ecclesiae memoratae inter Civitates vel Universitates quaslibet, seu inter ipsarum aliquam, & singularem Personam Conjuracionem, societatem, confederacionem,

Eas fieri vetitum.

Facta declarantur irritae.

nem, seu colligationem quamlibet absque Sedis Apostolicae consensu, & expressa licentia deinceps iniri, aut contrahi, vel sub colore quolibet attentari: Et si contra praesumptum fuerit conjurationem, societatem, confederationem, seu colligationem ipsas etiam si penarum, vel Juramentorum fuerint adjectione vallatae, irritas decernimus, & inanes: Contractas autem hoc usque etiam si penarum, vel Juramentorum simili fuerint adjectione firmatae, cassamus: Statuentes, ut singulae Civitates, Universitates, atque Personae Constitutionem hujusmodi violantes trium millium Marcarum Argentii penam incurrant: Et nihilominus non solum Censura procellentur Ecclesiastica, sed & alias spiritaliter & temporaliter punientur: prout qualitas commissorum exegerit, & Sedes ipsa viderit expedire: pena hujusmodi circa minora Loca sive Personas pro ipsorum locorum & Personarum qualitate praefata Sedis arbitrio moderanda. Moderandi vero penam hujusmodi, vel remittendi, vel super ipsa quomodolibet componendi Provinciarum, Terrarum, vel locorum Rectoribus omnimodam adimimus facultatem.

Pena contra inobedientes.

Clausula.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis, Cassationis, Constitutionis, & ademptionis infringere &c.

Dat. die 28. Novemb. 1290. Pont. An. III.

Datum apud Urbem veterem quartodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno III.

IX.

Excommunicationis, aliarumque penarum contra Haereticos, eorumque Fautores, & alios decretarum promulgatio.

Ex Reg. Vatic.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christianis fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Anathema, corporalesque poenae contra Haereticos.

Noverit Universitas vestra, quod Nos excommunicamus, & anathematizamus Universos Haereticos, Catharos, Pathearenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josephinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censentur, facies quidem habentes diversas, sed Caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Damna vero per Ecclesiam Seculari Judicio relinquuntur animadversione debita puniendi, Clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si quis autem de praedictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam penitentiam, in perpetuo Carcere detrudantur: Credentes autem eorum erroribus similiter Haereticos judicamus.

Eorumque fautores, &c.

S. 1. Item Receptatores, Defensores, & fautores Haereticorum excommunicationis sententiae decernimus subjacere: firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso Jure

in factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur: Sit etiam intestabilis, nec Testamenti habeat factionem, nec ad hereditatis successione accedat. Nullus praeterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte Judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec Causa aliaque ad ejus audientiam perferantur: Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur: Si Tabellio Instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti: sed cum auctore damnato damnentur, & in similibus idem praecipimus observari: Si vero Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur.

Et utroque non vacantes.

S. 2. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitate contempserint, excommunicationis sententia percellantur: alias animadversione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspitionis, qualitatemque Personae propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriuntur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione percellerint, tunc velut haeretici condemnentur. Item proclamaiones, aut appellationes hujusmodi Personarum minime audiantur.

De suspensio.

S. 3. Item Judices, Advocati, & Notarii nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item Clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec elemosinas, aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarii, aut Templarii, aut quilibet Regulares, alioquin suo priventur officio: ad quod nunquam restituantur absque Indulto Sedis Apostolicae speciali.

Aliae poenae.

S. 4. Item quicumque tales praesumpserint ecclesiastica tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiae se noverint subjacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent & projiciant hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura.

Ecclesiastica privati de sepultura.

S. 5. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicae personae liceat publice, vel privatim de fide Catholica disputare: qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

Lateis interdicuntur de fide controversis. Vide Const. XXV. Innocentii III. Haeretici publicandi.

S. 6. Item si quis Haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita, & moribus dissidentes, eos studeat indicare Confessori suo, vel alii per quem credat ad Praelati sui & Inquisitorum haeretica pravitate pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur: Haeretici autem & Receptatores, Defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu officium admittantur: Quod si fecus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim praedictos ex nunc privamus Beneficiis acquisitis, volentes, ut tales & habitus per-

perpetuo carcant, & ad alia similia nequam imposterum admittantur.

Filiis hereticorum emancipatio interdicta.

Dat. die 3. Martii 1291. Pont. 20. IV.

X.

Hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, cum omnibus ejus membris & bonis atque personis, sub protectione Sedis Apostolica suscipitur, & subiectio Hospitalis S. Spiritus in Monte Pessullano, Hospitali predicto approbatur.

De institutione Hospitalis vide in Innoc. III. Tom. III. Par. I. consl. XL. pag. 108.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Magistro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, ac illius fratribus, tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Exordium.

Inter opera pietatis, &c. Omititur residuum hujus proemii, quia est idem cum proemio bullae Innoc. III. Hec igitur attendentes Hospitale nostrum apud S. Mariam in Saxia, locum satis idoneum ad hospitalitatis officium exercendum, elemosynis Ecclesie Romanae solemniter constructum, in quo reficiuntur & recipiuntur pauperes, & infirmi, & exhibentur alia opera pietatis, ad exemplar foelicis recordationis Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. Alexandri IV. Clementis IV. Gregorii X. & Nicolai III. predecessorum nostrorum Rom. Pontif. sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut Regularis Ordo, qui secundum Deum in institutione Fratrum Hospitalis S. Spiritus ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Enunciatio locorum ad illud pertinentium.

§. 1. Propterea quaecumque possessiones, quaecumque bona quae idem hospitale in praesentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis & vestris successoribus, & illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

In Urbe & ejus territorio.

§. 2. Locum ipsum in quo praefatum Hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis, domos, vineas, hortos, annuos redditus denariorum, & quicquid juris habetis in Urbe, & in territorio & districtu Urbis. Grangiam de Vallecula cum pertinentiis suis: de Brani: de Malliana: de Peccuritia: de Pauli: de Murasuri: de Campagnano: & de Casano grangias, cum domibus, terris, vineis, sylvis, pratis, pascuis, possessionibus cultis & incultis, aquarum decursibus, & omnibus per-

inentiis suis, & Casale novum juxta flumen cum terris, pratis, possessionibus.

In Regno Sicilia.

§. 3. In regno Siciliae, Ecclesiam de Dianon, & Ecclesiam S. Laurentii extra Dianon: S. Mariae de campo Diamese: S. Quirici, & S. Spiritus de Claromonte Ecclesias, cum pertinentiis earumdem. Apud Castrum Corilionis, domum S. Spiritus cum pertinentiis suis. In dioecesi Caputaquen. Ecclesiam SS. Apostolorum Philippi & Jacobi cum pertinentiis suis. In civitate Marfici hospitale S. Spiritus, & hospitale S. Spiritus, quod habetis in civitate Trojana, & hospitale S. Spiritus, quod habetis in civitate Asculi, domos, terras, anneta, jardinos, & quicquid juris habetis in territorio Genetan. Hospitale novum quod habetis in civitate Aquilen. cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Adria, cum Ecclesia S. Claudii, cum domibus, terris, vineis, pratis, possessionibus, redditibus, & omnibus pertinentiis suis in usum brachie, & flumina Gomaui. In civitate Theatin. hospitale S. Spiritus. Et hospitale S. Spiritus in Piscaria. Et hospitale S. Spiritus, quod habetis in civitate Pennen. cum terris, domibus, possessionibus, redditibusve universis, bonis, & juribus spectant. ad Ecclesias & hospitalia supradicta, & quicquid juris in eodem regno hospitalis vestrum obtinere noscitur.

In Campania.

§. 4. In Campania & maritima, in Civitate Anagnin. Hospitale S. Trinitatis, cum domibus, terris, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis. Casale Ursinum quod habetis in civitate Anagnin. cum pertinentiis suis, & Ecclesiam S. Aegidii de Rapello, cum domibus, vineis, terris, sylvis, possessionibus, & omnibus pertinentiis earumdem. De Monte Fortino, de Velleiro, & Cora Grangias, cum domibus, terris, vineis, & omnibus pertinentiis earumdem, domos, terras, vineas, redditus, possessiones, & quicquid juris habetis in Ferentin. ac Alatin. & Terracin. civitate & dioecesi earumdem, domos, terras, vineas, prata, pascua, memora, molendina, cum aquarum decursibus, & quicquid juris habetis in castro & territorio Nymphae in civitate Tiburtin. cum domibus, terris, vineis, pratis, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis. In dioecesi Nepesin. Ecclesiam S. Tolomaei cum terris, possessionibus, cum omnibus pertinentiis suis, & etiam quicquid juris in civitate & diocesi Nepesin. hospitale vestrum noscitur obtinere. In civitate & dioecesi Sutrin. castrum sanctae Pupae, cum Ecclesia S. Mariae ad portam in dicto castro, terris, possessionibus, molendinis, aquarum decursibus, ac omnibus aliis juribus & pertinentiis earumdem, de Bisuntio, de Novosoro, de Fovento, de Calci, de Novocastro, & de Laufanna hospitalia, cum grangiis, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Amelian. Ruthenen. dioecesis, cum grangiis, domibus, terris, vineis possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Tuscia.

§. 5. In Thuscia, hospitale S. Spiritus de Castro Casali, cum terris, possessionibus, &

omnibus pertinentiis. Hospitale S. Spiritus quod habetis apud S. Quiricum, cum terris, vineis, possessionibus, & omnibus juribus & pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Florentia, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus juribus & pertinentiis suis.

In Patrimonio.

§. 6. In Civitate Viterbien. domos, terras, vineas, prata, hortos, & quicquid juris habetis ibidem. In castro Vite alle Placentin. cum turri sibi juncta, & aliis domibus, terris, vineis, pratis, hortis, & omnibus pertinentiis earumdem. Ecclesiam S. Leonardi de Ponte Grandinato cum pertinentiis suis, & molendinum cum aquarum decursibus, terras, vineas, possessiones. Et quicquid juris habetis in civitate, & dioecesi Narnien., medietatem castri Tramise, & partem, quam habetis in castro Turricole, cum domibus, terris, vineis, sylvis, possessionibus, & homagiis, aquarum decursibus, & omnibus juribus, & pertinentiis ad eandem: partem & medietatem spectant. ad Ecclesiam S. Blasii Hortan. cum terris, domibus, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Castrum Pontani, cum terris, vineis, sylvis, homagiis, aquarum decursibus, & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Leonardi de Septemvillis in stratu, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, sylvis, & omnibus pertinentiis suis, S. Andreae de Castro Porchiani, cum terris, vineis, sylvis, homagiis, aquarum decursibus, & omnibus pertinentiis suis, domos, terras, possessiones, & quicquid juris apud Fulginaten. obtinetis.

In Marchia Anconitana.

§. 7. In Marchia Anconitan. Hospitale S. Spiritus de Asculo, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis. Castrum Offida. Ecclesiam S. Jacobi, & Ecclesiam S. Martini, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus juribus, & pertinentiis suis.

In Patriarchatu Aquilejensi.

§. 8. In Patriarchatu Aquilejen. Hospitale S. Spiritus, & Ecclesiam S. Mariae de Collibus Clemone, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Burgundia.

§. 9. In Burgundia, hospitale S. Spiritus de Divione cum pertinentiis suis, de Dola, de Tornodoro, de Barro, de S. Severa hospitalia, cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis earumdem, de Bisuntio, de Novosoro, de Fovento, de Calci, de Novocastro, & de Laufanna hospitalia, cum grangiis, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Lotharingia.

§. 10. In Lotharingia, hospitale S. Spiritus de Novocastro, cum grangiis Berthonevalte, terris, pratis, nemoribus, molendinis, aquarum decursibus, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Tullo, cum pratis, vineis, aquarum decursibus cum pertinentiis suis, Hospitale S. Spiritus de Vallicolare, cum capella, terris, pratis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Regno Alemanie.

§. 11. In Regno Alemanie de Grefelt, & de Vvinipina Ecclesias, cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis earumdem. Hospitale de Vienna, cum. terris, possessionibus, &

& omnibus pertinentiis suis, de Comundia, de Mannuch, & Cracovia hospitalia: cum terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis earumdem. Hospitale S. Spiritus de Stetina, cum grangiis, villis, domibus, terris, vineis, sylvis, molendinis, aquarum decursibus, ac pratis, nemoribus, necnon & domibus eidem hospitali subiectis, & omnibus pertinentiis earumdem.

In Anglia.

§. 12. In Anglia, Ecclesiam de Vvritell. cum Capellis dependen. ab eadem, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis, ac juribus ad eandem Ecclesiam & Capellas spectantibus.

In Provincia Narbonen.

§. 13. In Provincia Narbonen. hospitale S. Spiritus de Montepessulano Magalonen. dioecesis, cum capella, grangiis, domibus, terris, vineis, pratis, pascuis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Clapomalauelba, cum capella, & omnibus pertinentiis suis.

In Provincia Auxicana.

§. 14. In provincia Auxitan, hospitale S. Spiritus juxta S. Severam, cum capella, grangiis, aquarum decursibus, terris, vineis, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis, Hospitale S. Spiritus de Parduvaco, cum capella & omnibus pertinentiis suis.

In Provincia Burdegalen.

§. 15. In provincia Burdegalen. Hospitale S. Spiritus de Brageriaco Petragoricen. dioecesis, cum capella, grangiis, terris, domibus, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Ponte Bononae cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Sulmaco cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de S. Fide cum capella & omnibus pertinentiis suis.

In Provincia Bituricen.

§. 16. In provincia Bituricen. hospitale S. Spiritus de Confluento Lemovicen. dioecesis, cum capella, domibus, terris, vineis, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Marterello Caturcen. dioecesis, cum capella, domibus, terris, vineis, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Montevalenti ejusdem dioecesis, cum domibus, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Amelian. Ruthenen. dioecesis, cum grangiis, domibus, terris, vineis possessionibus, & omnibus pertinentiis suis.

In Provincia Arelaten.

§. 17. In provincia Arelaten., hospitale S. Spiritus Aurasicen. cum omnibus juribus & pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Brizone, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus Aquen., cum omnibus pertinentiis suis.

In Provincia Viennens.

§. 18. In provincia Viennens. hospitale S. Spiritus de Argentaria Vivarien. dioecesis cum omnibus pertinentiis suis.

In Provincia Tarracoen.

§. 19. In provincia Tarracoen. Hospitale S. Spiritus Herden. cum capella, domibus, & pertinentiis suis.

In Provincia Toletan.

§. 20. In provincia Toletan., hospitale S. Spiritus Segobien. cum grangiis, domibus, terris, vineis, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, & omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Valentia, cum Ecclesia S. Lucae, domibus, terris, &

possessionibus, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitalia S. Spiritus de Valira, & S. Spiritus Iaemia, cum omnibus pertinentiis eorum de. n. Monasterium S. Eliae quondam Ordinis S. Benedicti Nepefin. dioecesis, cum Ecclesiis, castris, & pertinentiis, quod praefatus Alexander praedecessor noster de fratrum suorum consilio, vobis & per vos hospitali vestro concessit, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis & piscuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & in aliis omnibus libertatibus, & immunitatibus suis.

Magnus Clericorum in hoc Hospitali.

§. 21. Hoc tamen adiecto, ut in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici regulares ejusdem hospitalis professi, qui pro nobis, & praedecessoribus, ac successoribus, & fratribus nostris vivis & defunctis specialiter obsecrantes, omnia spiritualia liberaliter administrent, & super his nullius, nisi Rom. Pont. correctioni subiaceant, ad quem quotiens expedierit, monitione praemissa caritativa, fiat a fratribus proclamatio propter Deum, ut ipse cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit providendum.

Victus & vestitus habeat administratio-nique Sacramentorum vacent.

§. 22. Ipsi autem victu & vestitu contenti, quem eis secundum eandem regulam praecipimus exhiberi, divinis vacent officiis, & intendant sacramentis ecclesiasticis, ita quod de aliis hospitalitatis negotiis, praeter concessionem Magistris, se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuae filii Magister, & successorum tuorum, vel eorum, qui per te, vel per eos fuerint deputati ad hoc, sine contradictione, ac murmuratione relinquunt.

Hospitalia S. Spiritus in Montepesulano Hospitalia S. Spiritus in Saxia de Urbe qua legem unum.

§. 23. Ceterum autem praedictus praedecessor Honorius, unionem ejusdem Hospitalis & S. Spiritus in Montepesulano, nobis & hospitali nostro in spiritualibus & temporalibus perniciosam & damnosam recognoscens, ipsam de consilio fratrum suorum dissolvit, statuens ut nec istud illi, nec illud isti, in aliquo teneatur, nec nobis nec illis sit commune. Non obstant privilegio dicti Innocentii, nec suo, quod super unione ipsa apparuerit impetratum. Verum postmodum Rector & fratres praedicti Hospitalis de Montepesulano, per procuratorem ad hoc legitime constitutum, ipsum Hospitalis suum cum omnibus domibus sibi subiectis & subiacentibus in posterum, universis rebus & juribus supradictis auctoritate bo. mem. Stephan. tit. S. Mariae in Transtiberim, & R. S. Mariae in Cosmedin Diaconi Cardinalis, quos ad id deputaverat praefatus Gregorius Papa IX. Domui nostrae sponte & voluntarie submiserunt, ut idem hospitale cum domibus suis nobis & domui nostrae ita sit suppositum & subiectum, sicut domibus Hospitalis Hierosolymitani ex militia temporali sunt subiectae & suppositae domus suae, quam submissionem & subjectionem admittentes, duximus Apostolica auctoritate confirmandas.

Certum, &c. Residuum omitto, quia est idem ac in Constit. Innocentius III. citata supra in rub.

Papa subscrip-tio.

EGO NICOLAUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Card. subscrip-tio.

Ego Fr. Latinus Obiensis, & Velletrensis Episcopus subscripsi.

Ego Gerardus Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Joannes Tusculanus Episcopus subscripsi.
Ego Joannes tit. S. Ceciliae Presb. Card. subscripsi.

Ego Frater Hugo tit. Sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Jacobus Sanctae Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Neapoleo Sancti Adriani Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum apud Urbem Veterem per manum Magistris Joannis Decani Bajocensis S. R. E. Vicecancellarii, 11. Kal. Julii Indictione quarta Incarnationis Dominicae 1291. Pontificatus vero D. Nicolai IV. Anno IV.

Dat. die 17 Junii 1291. P. A. IV.

XI.

De recuperatione Terrae Sanctae Hierusalem, a Saracenis, & de indultis Crucesignatorum ad id proficiscendum, vel contributionem praestantium.

Huius recuperationi enixe studuerunt literis ad hoc datis Indulgentiis, & Privilegiis concessis Eugenius III. Const. VIII. Tom. II. pag. 292. Alex. III. Const. XXXVII. ibid. pag. 402. Gregorius VIII. Const. II. Tom. III. P. I. pag. 28. Innocentius III. Const. XLII. ibid. pag. 111. & Const. LXII. ibid. pag. 127. & Const. CVII. ibid. pag. 173. Honorius III. Const. V. ibid. pag. 181.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei. Univeris Christi fidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem & Apost. ben.

Pia adhortatio ad recuperationem Terrae Sanctae.

Illuminet super vos Dominus vultum suum, & ita suo lumine ad recensendum attentius, qualiter Redemptor noster salutem humani generis in Terra Sancta dignatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quod accendatur ut ignis ad subveniendum Terrae illius necessitatibus, zelus vester concalcescat, corda inflammantur, affectum & effectum prompta operis prosecutio subsequatur commendat. Cujus etenim pectoris etiam lapidei quamcumque duriciam non emolliat, considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? Cujus viscera non inflammet caritatis ardore pia consideratio illius humilitatis extremae, in qua ipse factus est obediens usque ad mortem, ad exprobrantium opprobria? velut agnus coram tondeute se vere mitis obmutuit, & sicut ovis ad occisionem deductus, propter contumelias & terrores, post spinas & sputa, post flagella varia, innocens est sine causa damnatus, ac demum saturatus opprobriis, clavis affixus, aceto & felle

felle potatus, in crucis patibulo tam dira mortis subit passionem, mysterium nostrae Redemptionis consummans, post traditum etiam spiritum lanceae illusione confusus. Haec filii, & innumerabilia largitatis divine charismata in Terra praedicta ipsi humano impensa generi, ab eodem Redemptore piissimo, si frequenter intra claustra pectoris, attenta meditatione revolvis, si, qua decet attentione pensatis, quis vestrum non fervet intus, foris ebulliet, exclamabit & dicet: Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? & non expectato monitoris, vel sollicitatoris officio subjunget ultroneus: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo?

Illorum locorum Sanctitas.

§. 1. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solum veneranda & piissima loca illa, in quorum altero oriens ex alto pro nobis nasci dignatus est humiliter, in reliquo mori crudeliter non expavit, sed etiam totam quasi jam terram eandem, quam ipse idem sua illustravit corporali praesentia, miraculis clarificavit immensis, & tandem effusione sui pretiosi sanguinis in nostrae salutis effusi pretium consecravit, occupata per nefandissimos Saracenos, ipsorum immunditia pollui, fecerit? Quis absque amaritudine summa commoretur tot Christianorum Castra, Civitates, & alia loca solemniter destructa penitus, ad nihilumque redacta, & eorum incolas eorumdem Saracenorum immanitate peremptos? Proh dolor, quis novitatis (quoniam deplorare libet potius, quam narrare) solers censor, & discriminum, quae comminari videtur, disculfor attentus, per noctem & diem, quasi torrentem lacrymas non deducat? Cujus pupilla tacebit? Cujus pectoris penetrale continebit suspiria, vel singultum frequentiam non erumpet, lugubri contemplatione recensens, quod, quantumcumque Mater Ecclesia casum eundem praevenerit studuerit, incolis illarum partium in galeis, bellatorum multitudine, ac subventionem pecuniaria: juxta persuasam ab eis denunciata necessitate exigentiam, & oblatam super hoc petitionis instantiam, succurrendo; nihilominus tamen Civitas Acaone sic ejusdem matris Ecclesiae studio communita quadraginta & quatuor diebus arctissima Babylonicae potentiae obsidione circumdata, terribilibus machinis diu nocturne vexata, impedita crebris & diris insultibus, membris etiam ipsius periculosos arietatis occultos, quadagesimo quarto die, obsidentium viribus (Dei permissione admirabili & stupenda) succubuit. capta per eos, & igni exposita, Christi colis inibi existentibus caesis innumeris, & ceteris qui habere nequiverunt ad maritima vasa recursum, in captivitatem abductis, ut per jugum barbaricae servitutis horribile, dispendiis civilis mortis adducti, naturali etiam diutius moriantur. Et de Tirenisis Civitatis deditio secuta.

Iterata Papa adhortatio ad recuperationem Terrae Sanctae.

§. 2. Quis igitur de cetero marcebit oculo? quis non exurget? quis ad recuperationem Terrae praedictae non promptus exiliet? quis tardabit? quem non pudebit ingratitude argui? quin potius quasi de infidelitate notari, si Creatori proprio, tam benefico Domino ad redemptionem Terrae illius, quam ipsa sacra Bull. Rom. Tom. III. Par. II.

Scriptura testatur omnium cariorum, qua potest promptitudine non assistat? cum etiam secundum Juris humani censuram subditos suis Dominis, & adtuenda, quae possident, & ad recuperanda injuste subtracta, debitum fidelitatis adstringat? Quis de tot fidei orthodoxorum cultoribus tam immaniter trucidatis, de tot calamitatibus captivorum, & alii Christianitatis opprobriis non ex tota mente movebitur? non suspiret? non anxietur ad vindictam? Profecto, cum secundum Apostolum, omnes simus unum corpus in Christo, non immerito cum illis de quibus scriptum est, Percussisti eos, & non doluerunt, insensibilitatis arguitur quisquis tantam hujus nostri corporis mutilationem, praedictorum videlicet Christianorum non sentit excidium, & tam graviter non maretur. Accingimini ergo Christiani fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis prosecutione monstrate; Accipite devotione, qua Rex vivificae Crucis signum, illud in considerationis vestrae scrutinium deducetes, quod viris quantumcumque magnificis, quantumcumque dignitate praeditis & virtute, ad gloriam magnam adscribitur, si eis quovis in bello Dominorum insignia gerere concedatur: sub quibus contigit frequenter non sine salutis aeternae crucifigum gestare vexillum, salutiferam videlicet Crucem? sub qua devotione congrua puro corde suscepta, conceptum prosequentes, munitia continua, propositum mori est vitae perennis initium, transitoriae mortis finis retributionis inestimabilis certitudo. Festinate itaque, festinate ad salutem vestram properare compendium. Accendatur cujuscumque virilis animus, & consilium attendentes, quod si forte labor major ex dictarum Civitatum captione proponitur, merces uberius subsequetur, cum sicut scriptum est, secundum laborem accipiet unusquisque mercedem. Corpora vestra, & corda pariter ejusdem vivificae Crucis signo in d. Terrae saepe fatum subsidium insignite, nunc praecipue, dum ipsius Terrae subventio multis & olim per Sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus & oneribus procurata, sed diversis & adversis adventibus diutius impedita, divina, ut supponit devota credulitas, provisione dirigitur, & ad excipiendas Terrae ipsius angustias, eamque de impiorum manibus erucendam, efficaciter sub spe divini numinis preparatur.

Eberardus Angliae Rex Crucesignatorum Dux.

§. 3. Si quidem carissimus filius noster Christianissimus Princeps Eberardus Angliae Rex Illustris, post tractatus varios super generali suo passagio in ipsius Terrae subsidium faciendo, diversorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, novissime tamquam benedictionis filius nostris beneplacitis acquievit, & ut post Christum, juxta consilium ejus eat, se ipsum abnegans, ac tollens, ut eundem sequatur Dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet Nativitatis B. Joannis Baptistae (quod erit Anno Domini 1293. & ei ad transfretandum personaliter, nec non ad dictum gene-

1291.
Cruce signatis
preligata
dies.

generale passagium Cruce signatis, & Cruce signandis omnibus duximus prefigendum) humiliter accepit, semetipsum exponere sui Redemptoris obsequiis Terrae praefatae personaliter subveniendi disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, praetermittens Regni sui terrarumque divitias, spernens delicias, & gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius praedicti gloriosi vexilli dominici characterem insignia mercare, felici commercio perpetuam post defunctionem corporis ex ignominio perpetuitatis comparatione, vix momentaneo labore, quietem, & permutatione constulta terrena pro coelestibus commutantes, transitoria pro mansuris, temporalia pro aeternis.

Indulgentia
pro d. Cruce
signatis vel
auxilium aut
subsidium sub
ministrabitur.

§. 4. Ceterum licet ad excitandos vestros animos in Terrae memoratae succursam, sufficere debeat solers attentio praemissorum, ut tamen ejusdem Terrae negotium eo libentius, eoque ferventius proficere studeatis, quo potius fructum ex vestris laboribus vos noveritis percepturos: Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, & illa, quam nobis licet indignis Deus ipse ligandi, & solvendi contulit, potestate, omnibus, qui vexilli dominici characterem insigniti, personaliter propriis sumptibus in praedictae Terrae subsidium proficisci curaverint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserint, & illis similiter, qui juxta qualitatem & facultatem suam, personas idoneas in expensis propriis destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis & indulgentiae volumus & concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, eos, qui licet non juxta qualitatem & facultatem suam, aliquem tamen, seu aliquas personas, in subsidium dicte Terrae propriis sumptibus destinabunt, vel de suis temporalibus bonis contribuent ad aliquas destinandas. Necnon omnes, qui ad subventionem ipsius Terrae, de bonis eiusdem aliqua ministrabunt, prout singulis divina fuerit inspiratione suggestum, aut alias ad promotionem praemissi negotii consilium & auxilium impenderit opportunum. Porro si forte aliquos eorum, qui cruce suscepta in jam dictam Terrae Sanctae subsidium proficiscendi laborem subierint, post arripitum iter hujusmodi, ex hac luce migrare contigerit, ipsos nihilominus plene percipere volumus indulgentiam praebitam. Personas quoque, familias & bona eorum, quos ad transferendum personaliter, vel juxta quantitatem & facultatem suam, personas idoneas destinandi, votum assumptae jam Crucis adstringit, ex nunc; quos vero suscipiendae Crucis de cetero votum obligabit ad idem, a die qua taliter Crucem assumpserint, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; statuentes ut sub diocefanorum defensione suorum consistant. Quod si eos aliqui indebite molestare praesumpserint, per diocefanos locorum, in quibus iidem molestatores fuerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescantur.

Indultum, quod non trahatur extra dioecesim ad iudicia.

§. 5. Praeterea, ipsis qui praedicto modo Crucem vel jam assumpserint, vel assument in posterum, indulgemus, ut per Sedis Apostolicae literas, vel Legatorum ejus (nisi forte illae quae ab eadem Sede obtentae fuerint, plenae de indulto hujusmodi fecerint mentionem) extra suas dioeceses non valeant conveniri, dummodo parati existant coram suis Ordinariis de se querelantibus respondere, quos per eosdem Ordinarios ecclesiastica censura defendi, cessante appellationis obstaculo, volumus ab iis, qui eosdem contra Indultum hujusmodi praesumpserint temere molestare.

Ufusurarium relaxatio.

§. 6. Si qui vero ipsorum ad praestandas usuras juramento teneantur adstricti, creditores eorum per diocefanos suos censura simili compellantur, ut juramentum hujusmodi penitus relaxantes, ab usura ulterius exactioe desistant. Si autem aliqui creditorum, eos ex tunc ad solutionem coegerint usurarum, ipsos ad restitutionem ipsarum per eosdem diocefanos simili volumus distractione compelli. Judaeos quoque ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli praecipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab omnibus Christianis fidelibus, quibus hoc per suos diocefanos denunciatum extiterit, tam in mercimoniis, quam in aliis, sub excommunicationis poena jubemus eis communionem omnimodam denegari.

Facultas petendi abolutionem ab excommunicationis sententia in certis casibus.

§. 7. Postremo, Cruce signatis & Cruce signandis eisdem volentes plenius providere; diocefanis ipsorum, ac nonnullis aliis, absolventi eos ab excommunicationis sententia in variis casibus, de quibus secundum facti exigentiam putavimus expedire; necnon dispensandi cum Clericis, qui cum a Canone, vel homine latam sententiam incurrisissent irregularitatis notam, immiscendo se divinis Officiis, contraxerunt, per has nostras literas plenam, & liberam concedimus facultatem.

Datum die 1. Augusti 1291. P. A. IV.

Datum die 1. Augusti 1291. P. A. IV.

XII.

Quod exhibeantur Ordini Fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, omnia legata, quae pro d. Redemptione non tamen certis personis relinquuntur.

Regulam huius Ordini dedit Innocentius III. Constit. XVII. Tom. III. Par. I. pag. 76. Et Constit. LXIX. ibid. pag. 134. nonnulla ei concessit Privilegia. Eiusque Fratribus, vivendi sub Regula S. Augustini facultatem dedit Gregorius IX. Constit. XLII. ibid. pag. 284. Tandem Regulam explicavit Clemens IV. Constit. XXV. ibid. pag. 462.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo Caesaraugustanae. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ordinis supplicatio pro abdicando ejusmodi indulto.

EX parte dilectorum filiorum Magistri, Prioris, & Fratrum S. Mariae Redemptionis Captivorum, Barchinonen. Ordinis S. Augustini, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi sua omnia, quae habent, reponant sollicito studio pro redemptione captivorum, qui detinentur ab inimicis nominis Christiani, exhiberi eis, quae pro redemptione captivorum hujusmodi, Christianis fidelibus relinquuntur, per districtum aliquem mandaremus.

Indultum de quo in rub.

§. 1. Nos itaque dignum reputantes, ut relicta hujusmodi exhibeantur Magistro, Priori, & Fratribus supra dictis, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam, terras, possessiones, & alia bona, quae generaliter Christi fidelibus relinquuntur pro redemptione hujusmodi faciendae, illis dumtaxat exceptis, quae certis & expressis personis in captivitate detentis, relicta vel dimissa esse noscuntur, Magistro, Priori, & Fratribus praedictis, per te vel per alium, aut alios facias exhiberi, detentores pecuniarum, terrarum, & bonorum praedictorum, ad exhibendum Magistro, Priori, & Fratribus praefatis, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Derogatio contrariis.

§. 2. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica fuerit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, quae de Indulto hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia Indulgentia dicte Sedis, cujuscumque tenoris existat, per quem effectus praesentium impediri valeat, vel differri, & de qua ejusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Datum die 5. Augusti 1291. P. A. IV.

Datum die 5. Augusti 1291. P. A. IV.

COELESTINUS V.

PAPA CXCI.

AN. DOM. MCCXCIV.



COelestinus Quintus, antea Petrus de Murrhone Monachus, filius Angelerii, patria Ifernienensis, electus est in Romanum Pontificem Perusii die 5. Julii anno 1294. Consecratus est Aquilae die 29. Augusti anno eodem. Sedit in Pontificatu annum I. Mens. V. dies VIII. Die siquidem 13. Decembris anni 1296. habito Neapoli Cardinalium consensu se Pontificatu abdicavit: tandemque in Eremitio Fumonis pie obiit die 19. Maii 1296. Post ejus abdicacionem vacavit Sedes dies XI.